



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE *COMPLURA INTER* SINITUR EPISCOPUS LUBLINENSIS
CORONANDI SIMULACRUM**

B. M. V. «DOMINAE NOSTRAE PLORANTIS»,

QUAE PIE SERVATUR IN CATHEDRALI AEDE S. IOANNIS Ad perpetuam rei memoriam. – Complura inter sacella illa ac monumenta Marialia, quibus et merito Nostra patria Polonia catholica gloriatur et peculiari universam per Ecclesiam honore collustratur, Lublini quoque novimus Nos haud secus ac noveramus semper ipsa in cathedrali aede Sancti Ioannis sacra sanctuarium reperiri inibique simulacrum Beatissimae Virginis Mariae a Christifideli regionis eiusdem pictum exornatumque affabre, quod ob prodigiosum qui memoriae proditus est eventum nuncupari consuevit Dominae Nostrae Plorantis. Quoniam vero sine ulla quidem intermissione recentioribus hisce annis magis augetur magisque in dies pietas publica privatusque singulorum cultus erga praecelesam Iesu Christi Matrem eo titulo insignitam eoque etiam loco custoditam, peropportune ideo Venerabilis Frater Boleslaus Pylak, Episcopus ipse Lublinensis, consentaneam usquequaque repetitum se effecturumque existimavit, si facultate sibi a Sede Apostolica tributa quasi cumlaret omnia illa religionis ac fidei documenta imponendo eidem effigies pretioso Nostram ad mentem serto, sicque praestantem Virginis Mariae statum et locum in cotidiana dioecesis Lublinensis vita singulariter atque insigniter esse in posteros annos confirmaturum. Quae eximia cum Nobis plane probetur causa ipsumque egregium dilaudetur inceptum, Nos sententiam excipientes sancientesque Congregationis pro Cultu Divino hac de re perlibenter statuimus et fidelium expressis saepenumero votis et memorati Praesulis motis obsequi precibus. Quapropter hisce Litteris atque Apostolica Nostra potentate Lublinensi Ordinario ipsas committimus partes ut imagini Virginis Mariae «plangentis» apud suum cathedrale templum die suo item arbitrio deligendo inter Missarum sollemnia secundum praestitutam formulam ritumque liturgicum pretiosam Nostro nomine et auctoritate coronam adfigat. Porro dubitamus minime Nos quin haec sacra celebratio Sanctissimae Deiparae Virginis maximum in religionis illic catholicae bonum populi proximi Lublinensis ac longinqui pariter emolumentum spiritale cedere possit proindeque fore certo confidimus ut inspicientes deinceps diadema pontificia voluntate adiectum ad eandem Dei percolendam Matrem vehementius usque incitentur. Contrariis quibusvis haudquaquam obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Ianuarii, anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1988 - Libreria Editrice Vaticana
